non esse exeundum in agrum. nec .. tectorum altitudine descendendum.
sed audiendum illud in monte saluum te fac. ad quem in isaia et michea
iubemur currere atque conscendere; Praecipitur autem iuxta litteram
ne foras exeant ne deserant muros. sed ut tueantur se firmis munitionibus;
Filia populi mei accingere cilicio et conspergere cinere. luctum u
nigeniti siue dilecti fac tibi planctum amarum siue miserabilem.
quia repente ueniet uastator siue miseria super nos siue super uos;
quia supra dixerat nolite exire ad agros et in uia ne ambuletis.
quoniam gladius inimici pauor in circuitu. et fugam quoque prohibuerat.
docet quid facere debeant. ut conuertantur scilicet ad poenitentiam
et hanc firmissimam et securam habeant armaturam; Ubi nos
diximus luctum unigeniti fac tibi. pro unigenito in hebraico scribitur
iaid: quod magis solitarium quam unigenitum sonat. si enim esset di
lectus siue amabilis ut lxx transtulerunt. idida poneretur. quod et sa
lamoni dominus nomen inposuit. Nihil autem dolentius quam unum
uel solum perdere filium. illudque quod nos interpraetati sumus
quia repente ueniet uastator. siue miseria super nos. lxx super uos
posuerunt. Cum multo deus misericordius dixerit ut quidquid super
suum uenturum est populum. super se quoque uenire testetur;
Vastatorem autem proprie uel nabuchodonosor uel diabolum
significat; Probatorem dedi te in populo meo robustum. et scies XXXII.
et probabis uiam eorum. omnes isti principes declinantes siue
inoboedientes. ambulantes fraudulenter siue peruerse. aes
et ferrum uniuersi corrupti sunt. defecit sufflatorium in igne

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0077